AUGUSTINUS

Klosterneuburg, Ende 12. Jh. Seite 251r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tem quae in servitutem generat, quae est Agar. Sed
cum accessit sanctitas, figurata est et liberata.
Factum tamen Petri Dominus improbavit, et progredi ul-
tra prohibuit Dominus dicens: Mitte gladium in
vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater non bibam il-
lum? In suo quippe facto ille discipulus magis-
trum defendere voluit, non quid significan-
dum esset cogitavit. Et ille ergo ad pacientiam com-
monendus fuit, et hoc ad intelligenti-
am conscribendum. Quod autem a Patre sibi dicit datum cali-
cem passionis, profecto illud est quod ait Apostolus:
Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit,
sed pro nobis omnibus tradidit illum. Verum auctor ca-
licis huius est et ipse qui bibit. Unde idem Apostolus
dicit: Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum
pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem
suavitatis. Cohors ergo et tribunus et ministri
Iudeorum comprehenderunt Iesum, et ligaverunt eum.
Comprehenderunt ad quem non accesserunt. Quoniam dies
ille, illi vero tenebre permanserunt; nec audierunt:
Accedite ad eum et illuminamini. Si enim
sic accederent, non eum manibus occidendo,
sed recipiendo corde comprehenderent. Nunc
autem quando eum illo modo comprehenderunt, tanto ab eo
longius recesserunt. Et ligaverunt eum, a quo solvi
potius vellent debuerunt. Et erant fortas-
sis in eis quibus tunc imposuerunt vincula sua,
atque ab eo postea liberati dixerunt: Disrupisti
vincula mea. Hec hodie satis sint:
contestabuntur Deo volente sermone alio
que secuntur. Explicit Omelia c.iiii.
Incipit Omelia c.v.

De eo quod dicit: adduxerunt ad Annam primum,
usque ad id tertium quod negavit Petrus, et statim
gallus cantavit.

Postea quam persecutores
tradente Iuda comprehenderunt
Dominum, et ligaverunt qui nos dilexit et tra-
didit semetipsum pro nobis, et cui Pater non pe-
percit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, ut intelli-
gatur Iudas non laudabilis utilitate
traditionis huius, sed sceleris voluntate dam-
nabilis: adduxerunt eum, sicut Iohannes evangelista
narrat, ad Annam primum. Nec tacet cau-
sam cur ita factum sit: Erat enim socer Caiphe,
qui erat pontifex anni illius. Erat autem, inquit,
Caiphas qui consilium dedit Iudeis, quia expe-
dit unum hominem mori pro populo. Mattheus
et Matheus cum id brevius narrare vo-
luisset, eum ad Cayphan ductum fuisse com-
memorat, quia ad Annam prius ideo ductus
est, quod socer eius fuerit; ubi intelligendum est
hoc eundem Caiphan fieri voluisse. Seque-
batur autem, inquit, Iesum Symon Petrus et alius dis-
cipulus. Quis nam sit iste discipulus, non temere
affirmandum est, quia tacetur. Solet autem se idem
Iohannes ita significare et addere, quem dili-
gebat Iesus. Fortassis ergo et hic ipse est: quisquis
tamen sit, sequentia videamus. Discipulus autem, inquit,
ille erat notus pontifici, et introivit cum Iesu in
atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium
foris. Exivit ergo alius discipulus qui erat notus
pontifici, et dixit ostiarie, et introduxit Pe-
trum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria.